

lo accentuum positu ratio reddi potest. Verum est, te Musicæ fac-
 cræ Accent. rudem & inscium esse; inde mirum non est, quod de
 nullo accentus positu, rationem reddas. Sed absit, ut alii eti-
 am eam ignorent. Distinguendum est inter notitiam generalem
 & specialem, v. g. Frankius mihi hætenus generaliter notus est,
 quod fuerit pastor, jam vero mihi notus est specialiter, quod pa-
 stor sit remotus, & homo stupidus, qui non possit distinguere in-
 ter notitiam generalem & specialem. Quando dicitur genuinum
 pronuntiandi modum esse ignotum, intelligendum hoc est de no-
 titia speciali, nempe ignoratur, utrum vox Sakepho notata per
 secundam, tertiam aut quartam, uti Musici loquuntur, sit elevata
 &c. Quando vero ex decenti pronuntiatione ratio de accentu-
 bus redditur, intelligitur notitia generalis, quæ Cl. Viro aliisque
 omnino nota est, & ex Talmude, Masora, accentuum ordine
 confirmata. Hæc ipsa generalis notitia de accentuum officio pro-
 nuntiatio ipsi etiam Frankio nota fuit; confitetur enim, se illud
 non negare, ut supra vidimus, jam vero illud ipsi ignotum est.
 Unde hoc? ex stupiditate vel malitia palpabili, si enim officium
 pronuntiativum, quod supra concessit, h. l. admisisset nihil ha-
 buisset, quod §. 13. scripsisset.

§. XI.

Hætenus stupidum Frankium cognovimus; sed §. 14tu-
 me cogit, ut eum inter stultos & turgidos utres excellere dicam.
 Accipe verba ejus: *Num plura restant? R. distinguit Rhetorum
 commata, cola & puncta in pronuntiatione adhibita ab illis, quibus
 periodus Grammatica distinguitur. Si sic distinguere vult inter de-
 coram pronuntiationem, quæ est pars Actionis Rhetoricæ, & inter
 interpunctionem, nemo repugnabit, sed hoc ita explicat, ut distinguat
 inter hodiernam periodi interpunctionem, & illam judæorum versus
 Accentuationem. Quæ verba obscuriora sunt, quam ut intelligi pos-
 sint. Querere possumus, quid per illam Judæorum versus Accentua-
 tionem intelligat, si congruam pronuntiationem non intelligit. Fa-
 teris itaque, mi Franki, quod Cl. Viri mentem non capis, quid
 ergo consilii? Consultum tibi fuisset, si intacta reliquisses, quæ
 supra captum tuum sunt. Sed quanta quæso obscuritas! Di-
 citur discrimen esse inter hodiernam periodi latinæ interpuncti-*